

36. Dicendum est 1. Quod per opera religiosa primi, & secundi gradus non violatur observantia festi, quia finis hujus præcepti est vacare a servilibus in Dei cultum: erg. eis, per quæ immediate Deo cultus tribuitur, non violatur hoc præceptum. Ideoque circumcisionem accipiebant Judæi in Sabbato, & victimas mactabant, aut præparabant Sacerdotes in Sabbatis absque crimine, ut dicitur *Matth. 12.*

37. Dicendum est 2. Quod opera tertii gradus, ut mundare, vel ornare templa, & altaria, deferre necessaria ad solennitatem, scopare vias publicas ad processionem, coquere hostias; aut similia licita sunt cum causa in die festo; differre autem ea ex negligentia ad diem festum est peccatum veniale: quia si commode possunt, præparari die antecedenti, aut profesto, omittere illa ad festum, a culpa levi non excusatur; gravis vero non consurgit: quia materia ex se levis est, & fit levior ex conjunctione ad cultum Dei, præciso scandalo, & contemptu. Si autem die antecedenti fieri non potuerunt, vel invincibiliter oblata sunt, excusantur ab omni culpa, quia jam est casus necessitatis.

TRACTATUS DECIMUSQUINTUS

DE QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO.

Quartum Decalogi præceptum est de honore parentibus exhibendo, juxta illud *Exodi cap. 20. & Deuteronom. 5. Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Estque primum præceptum secundæ tabulæ: in qua præcepta erga proximum servanda continebantur. Ideo post notitiam trium præceptorum erga Deum, ad exploranda præcepta erga

38. Dicendum est 3. colere agros aliquid sita sunt opera sacrorum præparatoria, ut mundare, aut ornare templa; quibus ex pietate annectuntur alia servitia in utilitatem Ecclesiæ præstita, ut colere agros pauperulæ Ecclesiæ, vel ad ejus structuram lapides, aut alia congregare, & portare. Quibus suppositis...

39. Inq. 4. Quis possit dispensare ad laborandum in die festo? R. summum Pontificem posse, quia suprema gaudet autoritate, tanquam Legislator Ecclesiæ universalis. Deinde Episcopus valet in sua Diocesi dispensare pro Synodalibus festis, ut Legislator; pro festis vero communibus cum causa, & in casibus peculiaribus. Item Parochi dispensare possunt in aliquo casu particulari, cogente necessitate, deficientique facili recursum ad Episcopum. Tandem consuetudo licita facit opera servilia in festis, ubi, & quantum fuerit legitime introducta. Cavendum tamen est, ne corruptela sub larva consuetudinis foveatur. Non sine dolore conspicimus plures dies, qui festivi non sunt, a plerisque insumi otio, confabulationibus, ludis, potationibus, choræis, comediis, & aliis inutilibus exercitiis; diebus autem festivis vacare servilibus prætextu necessitatis, & inopie. Curent igitur Episcopi, & Parochi hujusmodi abusibus occurrere, si sit possibile. Vid. inst. 65. Ben. 14.

proximum accedimus: inter quæ honor parentibus debitus primum merito obtinet locum.

CAPUT

CAPUT UNICUM

De honorandis parentibus.

PUNCTUM I.

De obligatione filiorum erga parentes.

1. Inq. 1. Quid jubeatur in quarto Decalogi præcepto? R. præcipitur honorare parentes. Hoc est honorare 1. eos, qui nos corporaliter genuerunt. 2. eos, qui nos spiritualiter regenerarunt, & regerant, ut Ecclesiæ Præsides, Sacerdotes, & ministros nostræ salutis spiritualis. 3. Reges, seu Principes nostros, Gubernatores Regni, & Magistratus, & Duces reipublicæ. 4. Tutores, curatores, & Magistros. 5. Senes, & ætate provectos, & omnes, qui dicuntur, & sunt majores ætate, dignitate, & regimine. 6. Debetur peculiaris fratribus, consanguineis, & affinibus juxta majorem, aut minorem propinquitatem. 7. Debetur etiam specialis honor benefactoribus, concubibus, & amicis. Hos omnes honorare, servata proportione, ex virtute pietatis, & observantiæ tenemur, ut docet D. Th. 2. 2. q. 101. & 102.

2. Inq. 2. Quam obligationem inducat amor parentibus a filiis exhibendus? R. triplicem obligationem inducere in filiis. Prima est amoris, & reverentiæ. Secunda obedientiæ, & cultus. Tertia subventionis, & sustentationis in necessitatibus. Tenentur igitur filii primo honorare parentes, eos peculiariter, quam ceteros proximos amando, & numquam eos odidendo. Unde si filii eos odio habeant, peccant graviter non solum contra caritatem, qua omnes diligere debemus; sed etiam contra pietatem, qua parentes amare tenemur. Secundo debent filii revereri parentes in signum amoris, de eis honorifice loquendo, numquam detrahendo, eis famulando, coram eis assurgendo, caputque inclinando. Hæc enim, & similia postulat reverentia parentibus jure debita.

3. Inq. 3. Quando peccent graviter filii contra amorem parentibus debitum? R. Primo peccare filios, quando eis grave damnum, ut mortem, infamiam, vel

quid simile deliberate exoptant. Nota obiter propositiones 13. 14. & 15. damnatas ab Innoc. XI.

Secundo, si eos graviter contristent verbis, aut factis, aspere eos alloquendo, torvis oculis aspiciendo, gestibus protervis, irrisionibus, despectionibus, aut aliis injuriis afficiendo, eorum consilia deridendo, aut contemnendo; & quod pejus est, ac natura ipsa horret, si in eos manus injiciant, lædant, aut subtrahant, aut comminentur, manum, aut virgam iracunde elevando. Unde tribus lanceis cor Absalonis esse transfixum dicunt plures ob mortis machinationem in parentem. 2. Reg. 18.

4. Tertio, si parentes mortuos debitæ sepulturæ non curent mandari. Si pro eis preces, & sacrificia non studeant offerri. Si eorum testamenta non adimpleant. Si debita eorum negligent absque causa solvere. Si non curent, ut parentes in mortis periculo sacramenta recipiant, atque testamentumificent. Quarto, si eos in judicio, sive civili, sive criminali accusent, exceptis causis hæresis, prodicionis patriæ, & conjurationis in Principem; si hæc ultima delicta aliter vitari nequeant: quia bonum commune cuilibet privato est præferendum. Quinto, si parentes scienter ad gravem iram, seu ad maledicta provocent. Sexto, si eos contemnunt, vel recognoscere dedignantur; nisi forte hoc accidat in aliqua rara circumstantia, qua filiis afferret aliquod grave damnum in vita, fama, aut honore: tunc enim excusabilis esset prudens dissimulatio, ipsis postea manifestanda, ne tristitia, & mærore afficiantur.

5. Inquires 4. Quando peccent filii contra obedientiam parentibus debitam? Resp. filios teneri parentibus obedire in omnibus pertinentibus ad curam domesticam, & ad morum disciplinam, atque educationem, juxta illud ad Ephesios 6.

1. *Filii obedite parentibus vestris in Domino.* In omnibus ergo licitis debent filii humiliter obedire parentibus exemplo Christi, qui licet Dominus omnium esset, tamen Beatissimæ suæ matri, & castissimo ejus sponso subditus erat. Unde, nisi excuset materiæ parvitas, aut intentio præcipientis, peccant graviter: Primo,

mo non obediendo in his, quæ spectant ad bonos mores, & ad salutem animæ, ut in fugiendo ludos prohibitos, amicitias pravæ, consortia periculosa, egressum nocturnum & domo, expensas superfluas, prodigalitatem, seu profusionem rei familiaris.

6. Secundo peccant graviter, si nolint gerere negotia sibi ad familiæ utilitatem commissa, vacare studiis, vel illis artibus, quibus idonei, aptique redantur, ut sibi, aut etiam familiæ, suo tempore consulant. Si matrimonium insciis, vel invitis parentibus, absque causa contrahant. Quando possint licite illud contrahere, & religionem ingredi, etiam invitis parentibus, suis locis est exponendum, juxta doctrinam D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. ubi ait: *Non tenentur filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi.* Unde circa electionem status non tenentur filii parentibus obedire, modo suo loco dicendo.

7. Filii, præter respectivè dicta, peccant graviter contra obedientiam, si contendant e domo solæ exire, libere frequenter deambulare, litteras occulte mittere, aut recipere, invecunde se ornare, personas suspectas alloqui, munuscula admittere, consortium matris fugere, sponsum sibi non decentem, aut inæqualem pertiucaciter velle, in his, & similibus peccant filii, tenenturque in confessione aperire nedum speciem peccati, sed etiam peccatum inobedientiæ, quandiu sunt sub cura parentum, vel aliorum vices eorum gerentium, quorum obedientiam violaverunt. In seniori doctorum sententia filia peculiarem etiam injuriam infert patri, vel ei, sub cujus cura est, per amissionem illicitam virginitatis.

8. Inq. 5. Qualis, & quanta sit obligatio filiorum subveniendi parentibus? R. filii tenentur parentibus subvenire, tam in spiritualibus pro eis Deum orando, sive in vita, sive in morte, quam in corporalibus, quando indigent: non solum ex caritate, sed ex pietate naturali, quia jure naturali tenemur conservare vitam eorum, a quibus esse accepimus. Unde licet, pater ad pereundum fame jus-

te sit damnatus, tenetur filius pro possibili eum alere: de quo adest heroicum exemplum cujusdam filii, quæ carcerem ingrediens aluit propriis uberibus matrem ad pereundum fame damnatam. Idem fecit Cimona, quæ patrem lacte suo aluit in carcere, ut refert Valerius M. lib. 5.

cap. 4.

9. Imo licet Princeps sub gravi poena juberet, ut nullus alicui alimenta ministraret, tale præceptum filios non comprehendere, quia pietati naturali repugnat. Eadem ratione filius religionem ingrediens, relinquendo parentes, quisine ipso sustentari non possunt, peccaret graviter: quia præceptum de honoratione parentum transgredere, ut inquit D. Thom. 2. 2. q. 101. art. 4. ad 4.

10. Inq. 6. An filius in religione professus teneatur a religione exire, ut parentibus indigentibus subveniat? R. in extrema necessitate, cui aliter nequeat occurri, nemo ambigit posse, & debere filium exire ad eam in parentibus, imo & in aliquo quocumque proximo sublevandam: quia jus naturale ita postulat in tali necessitate. Verum quando necessitas est gravis, non tenetur filius a religione egredi pro parentibus subveniendis, licet salva Prælati obedientia, & suæ religionis statu debeat curare, ut eis subveniatur. Religiosus enim professus est quasi mortuus sæculo, religionique omnino traditus: & sicut conjugatus non tenetur uxorem relinquere ad parentes alendos, sic nec religiosus religionem deserere. Ita D. Thom. ubi supra.

11. Obligatio alendi parentes intelligenda est de reliquis ascendentibus: omnes enim reputantur ut parentes. Comprehendit etiam filios naturales, & spurios, in omnibus quippe eadem ratio pietatis naturalis urget. Transit etiam ad heredes filiorum: quia bona eorum hoc onere gravantur, & ad quemcumque titulo gratuito perveniunt, cum eodem onere transeunt.

PUNCTUM II.

De obligatione parentum erga filios.

12. Inq. 1. Ad quid teneantur parentes

tes erga filios? R. sicut filii tenentur honorare parentes amore, obedientia, & sustentatione, ita parentes obligantur filios specialius amare, eisque educationem, alimenta, & congruum statum præstare. Unde peccant parentes 1. si filios odio habeant, si illis mortem, aut aliud notabile damnum exoptent, imprecentur, maledicant: si nimis severe eos tractent, puniant, alloquantur, aut aslegant. 2. si per se, aut idoneos magistros non doceant filios mysteria fidei, orationem dominicam, formæ signum crucis, seu se signare, aliæque christianæ vitæ documenta ad salutem æternam necessaria. Præcipue si in timore, & amore erga Deum, devotione erga Deiparam, & sanctos, & præparatione ad sacramenta suscipienda eos non instruant, atque in electione status omni libertate gaudere non relinquunt.

13. Tertio, si non curent, ut filii addiscant illas scientias, seu artes suo statui congruentes, quibus capessendis debent parentes impensas facere. 4. Si occasiones peccandi a filiis non avertant, si in domos suspectas ingredi permittant, si filiabus conversationes, & amicitias cum juvenibus, sive intra domum, sive extra penitus non cohibeant, ornatumque inverecundum, aut nimis superfluum, nimiamque libertatem in publicum prodeundi, & ad fenestras se exponendi non prohibeant. 5. Si hæc suo consilio, atque exemplo doceant, aut aliud malum exemplum filiis præbeant, coram eis maledictiones, juramenta, blasphemias, verba detractoria, seu turpia proferendo. 6. Si eorum pravos mores, & vitia serio non corrigant: ob quod peccatum Heli improvisa morte punitus fuit. 1. Regum cap. 2. Denique sumo studio curare debent, ne filii eorum septenio majores in eodem cubili una cum patre, & matre retineantur, & ne fratres, & sorores post septenium in eodem lecto simul cubare permittant, hoc enim esset exponere illos periculis juvenum, quibus non est intellectus ad bonum, sed malitia Dæmonis simul eum occasione supplet etatem. Advertant hoc Parochi, & Confessarii; audiantque s. Carolus in Concilio Mediolani, sic statuentem: *Ne cum femina quocumque vel artissima propin-*

quitatis gradu conjuncta mas simul cubet, etiamsi ambo puerili ætate sint: Ne paupertatis, angustæ habitacionis excusationi locus facile relinquatur, quominus istiusmodi impuritatum occasio omnis præcidatur; cum huius potius, atque adeo sub dio jacere satius esset. Vide Bened. XIV. Syn. lib. 11. c. 4. n. 8.

14. Deinde tenentur parentes filios, etiam spurios, aut hæreticos, excommunicatis, & exulantibus alimenta ad vitam necessaria præstare, quia filius ob nulla delicta perpetrata desinit esse filius, & naturali foedere, ac jure patri conjunctus: ergo quando filii per se nequeunt sustentari, debent patres eos nutrire. Unde etiam clericus tenetur filio spurio, adhuc ex bonis beneficialibus, si aliunde non habeat, subvenire, filiamque moderate dotare. Duplex autem constitutio Pii V. oppositum de clericis disponens, solum improbat quæcumque privilegia testandi pro filiis spuris; naturæ vero leges immunes relinquit.

15. Obligatio parentum filios alendi intelligitur de avis, & aliis ascendentibus; prius tamen de illis, qui sunt ex linea paterna, in quorum defectum succedunt, qui veniunt ex materna: quibus omnibus deficientibus obligantur consanguinei propinquiores. Mater tenetur lac filio per triennium præbere, reliquæ expensæ a patre sunt faciendæ; imo si mater careat lacte, vel alia causa lactare eum non valet, pater ad omnes expensas tenetur. Si pater sit inops, impotensque, mater quoad omnia, si possit, filio providere debet. Saltem venialiter peccat mater, & juxta plures graviter, si absque causa per se non lactet filios, quia inde non levia damna proli adveniunt. Justa vero causa cogente, sollicite eligere debet nutricem sanam, & honestis moribus assuetam: defectus namque physici pene certo, morales fere semper cum lacte transfunduntur in infantes, ut experientia sæpe attestatur. Vid. Bened. XIV. Synod. lib. 11. c. 7. n. 10. & 11. Peccant etiam graviter matres, si secum teneant infantes in lecto cum periculo oppressionis.

16. Denique tenentur parentes non dilapidare, nec prodige dissipare ludis, comotationibus, nimio luxu, aut aliis

modis indebitis rem familiarem; sed potius curare prudenti sollicitudine, ejus conservationem, & augmentum ad filias dotandas, filiosque juxta eorum conditionem instituendos; quia debent providere futuris filiorum necessitatibus; necnon curare congruam eis relinere hereditatem. Quidquid dictum est de obligationibus parentum erga filios, intelligi debet proportionabiliter de tutoribus, & curatoribus respectu pupillorum, & minorum; quia loco parentum succedunt: ob quam rationem pupilli, & minores vicissim illis eundem amorem, honorem, reverentiam, ac parentibus exhibere tenentur.

17. Inq. 2. An parentes bene agant mittendo filios, & filias ad regna externa causa studii, vel educationis? R. quod melius agerent, curando assequi intra regnum, quod extra intendunt: quia nulli fides purior, pietas major, aut doctrina sanior præ Hispania reperitur. Aliqui in Hispania amare stiverunt, quod extra Hispaniam didicerunt, ut inter alios plane fassus fuit doctor Cazalla, dum Vallisoleti ad supplicium raperetur. Quædam aura vanitatis cogitat, & concitat hujusmodi transmigrationses cum gravi dispendio temporali, & spirituali, præsertim in filiabus, pro quarum honestiori educatione non desunt in Hispania monasteria, conservatoria, aut seminaria.

18. Inq. 3. An peccent parentes filios hospitalibus, aut alibi exponendo nutriendos? R. 1. quod ex justa causa, ut ad evitandam infamiam, delictum celandum, aut propter inopiam filios exponendo non peccant graviter: quoniam cum tanto dedecore eos per se alere non tenentur, sed sufficit curare, ut debite nutriantur. Omni tamen sollicitudine studere debent, ut exponantur loco, & tempore congruo, ne tenera eorum vita periclitetur; & quod prius baptizentur; alias rei homicidii evadent, quod non semel accidisse audivimus.

19. R. 2. Quod, seclusa justa gravi causa, grave peccatum committunt parentes exponendo filios foribus Ecclesie, aut hospitalibus: quia negare eos videtur, qui sic abicit filios, eisque alimoniam denegat, ut dicitur in lege. *Necess. ff. de liber. agnosc.* Ultra quod con-

tra legem naturalem agit, ita filios deserens, faciens eos cum magno dedecore, & absque honesta educatione vivere. Quando ex justa causa id efficiunt parentes, tenentur, si divites fuerint, hospitalibus satisfacere expensas in filii educatione factas: quia dictæ domus præcipue pro pauperibus sunt institutæ.

20. Obligatio filios alendi transit ad hæredes, & donatarios patris simul cum ejus bonis titulo lucrativo acceptis: non autem ad eos, qui illa obtinent titulo emptionis, permutacionis, aut alio quocumque oneroso: quia isti, soluto pretio, ea possident. Quando bona patris confiscantur per sententiam arbitriam Judicis, Fiscus debet filiis alimenta præbere. Quando vere confiscatio fit ob delicta, quæ ex lege hujusmodi poenæ subjacent, ut crimen hæresis, aut læsæ majestatis, Fiscus non tenetur ad filiorum alimenta præstanda; nisi in casu, quo aliunde sustentari nequeant: quia tunc jure naturæ eis debentur.

21. Inq. 4. An parentes teneantur sub gravi dotare filiam nubere volentem? R. affirm. quia dos succedit loco alimentorum. Idem est dicendum de filio religionem amplecti volente, aut sacros ordines: quia status ecclesiasticus, & religiosus favorabilis quid est omni alio statu. Imo tenetur pater dotare filiam majorem viginti quinque annorum, esto indigno contra ejus voluntatem nubat: quia pater fuit in mora aptum querendi matrimonium: ideoque ejus negligentia tribuendum est, quod indigno nupserit. Videatur Pragmatica circa hoc nuper a Carolo III. prudentissime edita. *tract. 34. n. 78.*

22. Si vero filia sit minor viginti quinque annorum, & indigno nubat, tenetur quidem pater ei tribuere alimenta ad vitam necessaria, ne fame pereat. Si autem alimentis patris non egeat, minime tenetur eam dotare: contra rationem enim est, compellere parentes dotare filiam divitem indigno nubentem, familliamque denigrantem. Quatuordecim casibus valent parentes exheredare filios, ut dicemus *tract. 20.*

PUNC.

PUNCTUM III.

De obligatione mariti ad honorandam uxorem.

23. Inq. 1. Ad quid teneatur maritus respectu uxoris? R. teneri 1. eam vero amore diligere, sicut Christus Ecclesiam; ita ut quoad amorem sensibilem, seu iatensivum, & circa status conservationem, & cohabitationem præferre illam etiam parentibus debeat, extra necessitatem extremam in qua, ut alibi diximus, prius subveniendum est parentibus, & filiis, quam uxori. Unde debet maritus tractare uxorem, non ut servam, aut ancillam, sed ut sociam, & adjutricem: ad hunc enim finem edificata est a Deo, non de pedibus, sed de costa, & late te viri. Quare, esto justa exigente causa possit illam bis, aut ter admonitam cum moderatione punire; graviter tamen peccat, si eam atrocius puniat: quia acris punitio non ad maritum, sed ad judicem expedit.

24. Secundo tenetur maritus honorare suam uxorem verbo, & opere. Unde peccat, si verba infamatoria ei dicat: ut esse adulteram, ignobilem, aut quid simile: quia ex his non parum infamari, & multum contristari valet. Esto enim aliquando causa correctionis liceat dicere uxori aliquod verbum asperum; quando vero graviter injuriosum est, peccatum grave committit. Quare magna discretio necessaria est in corrigendo hujusmodi verbis; ne, dum proximus corrigi intenditur, graviter dehonoretur, aut nimis contristetur.

25. Tertio tenetur maritus cum uxore cohabitare in eadem domo, in eodem lecto, & prandere in eadem mensa: quia hoc postulat individua vitæ consuetudo, quam matrimonium jure naturæ requirit. Unde peccat maritus, si absque consensu uxoris, aut absque gravi causa separet habitationem, thorum, aut mensam. Causæ autem ad dictam separationem sunt. 1. si maritus ad negotia domus abierit. Si ex sententia Judicis ad tempus exulet. Si periculum vitæ ipsi imminet. 2. Si mutuo consensu quoad thorum ad tempus separentur, ut orationi vacent,

aut continentia; dummodo incontinentia absit periculum, quod sæpe in juvenibus datur: ideoque matura consideratione permitti debet. 3. Est absentia tempore belli, ad quod maritus vocatur. 4. si brevem peregrinationem aggredi velit; longa quippe absque uxoris consensu fieri nequit. Uxor autem nec brevem facere valet absque consensu viri, qui est caput mulieris, quam dedecet peregrinari. Quando vir per breve tempus, ob justamque causam abest, non tenetur secum deferre uxorem, eum comitare volentem: tum propter indecentiam peregrinationis in femina: tum ob expensas vitandas. Si autem vir diu esset mansurus in uno loco, deberet secum transferre uxorem, cum eo adire volentem: quia in tali casu rationabiliter vult uxor sociare maritum.

26. Quarto tenetur maritus non impedire uxori adimpletionem præceptorum divinarum, aut Ecclesiæ: puta audire sacramenta, jejunare, abstinere a carnibus diebus vœitis, & similia. Imo debet curare, ut hæc omnia ab uxore observentur; alias graviter peccat: nisi adsit juxta causa excusans, quæ raro adesse potest, si spreto amore carnali salus animæ serio prospiciatur. Tenetur etiam permittere uxori moderatam sacramentorum frequentiam, auditionemque Missæ etiam diebus pro festis; ita ut, si ipsi constaret uxorem magnam utilitatem ex frequenti confessione, & communione depromere, graviter eam avertendo peccaret: quia maritus tenetur uxorem diligere; non autem diligit, sed odio habet, qui ei prædicta bona spiritualia impedit. Quod vero uxor per jejunia Ecclesiæ, aut aliorum præceptorum observantiam fiat deformis, aut impotens ad reddendum debitum, chimericum, & a Christiana cogitatione prorsus est alienum.

27. Quinto tenetur maritus alere uxorem, si ejus dotem accepit; similiter quando absque dote eam ducere voluit: quia ipse spontaneè onus eam alendi suscepit. Pariter quando uxor est in obsequio mariti: quia si hac ratione famulam alit, quanto magis uxorem. Si autem uxor ob suam culpam viro non cohabitavit, eam alere non tenetur, licet dotem acceperit: quia mulier debet esse

sub

sub obsequio viri, ut alimenta recipiat. Verum si ob sævitiam viri, vel aliam justam causam uxor ab ejus consortio recedat, debet eam alere: quia culpæ viri imputatur recessus. Idem est, si separetur ob periculum morbi contagiosi. Quibus in casibus etiam uxor, si dives est, & vir pauper, debet illa huic alimenta præstare: quia innocentem pœnam privationis alimentorum subire equum non est.

28. Inq. 2. An uxor sit alenda a viro, si dos promissa non ei tradatur? R. quod si aliquam partem dotis vir accepit, debet alere uxorem pro rata: quia si totam dotem accepisset, teneretur ad integre alimenta præstanda: Ergo si partem accepit, ad partem obligatur. Si vero nihil accepit, distinctione est loquendum: vel enim non solvitur dos ex culpa uxoris, aut promittentis, & tunc eam alere non tenetur: quia sub hac conditione saltem implicite illam duxit. Si autem absque culpa uxoris, aut promittentis dos soluta pereat, debet maritus eam alere: quia innocentem punire inhumanum est. Imo esto dos pereat ex culpa uxoris, ut propter hæresim, aut aliud grave delictum, si aliunde non habeat alimenta, tenetur vir ea præstare: quia nexus conjugalis postulat, ut a viro alatur, ne fame intereat. Si uxor committat adulterium publicum, amittit jus alimentorum, sicut & cohabitatio. Similiter quando adulterium est occultum, potest occulte alimentis privari. Tamen lite durante circa divortium, etiam quando uxor movet litem contra virum, hic tenetur ei dare alimenta, & ad solvendas lites expensas: quia lite pendente nihil est innovandum; & alias ex defectu alimenti, & expensarum cogeretur uxor a causa justa supersedere, quod est iniquum.

РУКСТУМ IV.

De obligatione uxoris ad honorandum maritum.

29. Inq. 1. Ad quid teneatur uxor respectu mariti ex vi quarti præcepti? R. quod in primis tenetur uxor virum peculiari amore diligere, sicut vir uxo-

rem. Ideo omne peccatum contra caritatem, aut justitiam inter conjuges addit peculiarem malitiam contra pietatem in confessione aperiendam: quia induit circumstantiam mutantem speciem.

30. Deinde tenetur uxor lege naturali, & divina honorem, & obedientiam præstare marito: quia est sub viri potestate, & vir est caput mulieris, quæ debet ei obedire in ordine ad bonos mores, & familiæ, aut domus gubernationem. Unde si ipsa, viro spreto, velit gubernare, graviter peccat. Potest autem, & debet moderate sese marito opponere, si bona in ludos dilapidet, commensationes, ebrietates, aut in alia illicita; vel nimis negligens sit in filiorum educatione. Verum etiam tunc debet solum congruo tempore, & cum summisione monere. Si enim rixose, & petulantè faciat, illum ad iram, juramenta, aut blasphemias provocans, grave peccatum committit, debetque ab illo veniam petere: quod maxime renuat femina, esto maritus despiciat, verbisque graviter injuriat. Sed Confessarii debent illas ad id cogere, tum ut restituatur mariti ablatum honorem: tum ut sic respiciant, & pacem, non dissidia foveant.

31. Ulterius peccat uxor, si justum mariti præceptum non adimpleat: ut si ei jubeatur dimittere vestes superfluas, aut inhonestos mores corrigere, honestatem, modestiam, aliasque virtutes mulieribus congruas colere. Tamen uxor non tenetur cibos condere, domum verrere, fricare, & similia obsequia vilia marito exhibere: quia esto nihil ob hoc amitteret; imo aliquando ad exemplum ancillarum, & semper ad humilitatem acquirendam conveniat ea exercere; nihilominus regulariter sufficit, ut ipsa curet ea servitia per ancillas fieri, dummodo otio non distuat, sed honestiora ministeria sollicitè obeat, nisi in casu necessitatis, in quo famulas conducere nequeat; quia tunc ratione paupertatis ad ea præstanda tenetur.

32. Inq. 2. An uxor peccet, si cum marito non cohabitet, vel illum alio migrantem non sequatur? R. Uxorem peccare, si absque justa causa marito non cohabitet: quia alias non impletet

onus

onus debitum reddendi, & obsequia domestica ei præstandi. Hac ratione peccat etiam, si illum non sequatur, quo ex justa causa commigraverit. Nisi pactum præcesserit non mutandi domicilium, quod observari debet, seclusa gravi causa: qua urgente, non obligat. Ut si saluti animæ, aut corporis viri, vel mulieris mutatio, aut transmigratio conveniat. Si autem vir fiat vagabundus, cum talis ante matrimonium non esset, uxor non tenetur eum comitari. Quando vir ob delictum in exilium mittitur, debet uxor illum sequi; nisi justo motivo excusetur. Similiter si sciens virum ad Indos migraturum, sive a Rege missum, sive ob aliam justam causam, cum illo contrahat matrimonium, ad Indos debet illum sequi: quia scienti, & volenti non fit injuria. Honorent igitur, ac se invicem diligant conjuges uniti semper vinculo matrimonii, & caritatis; hac enim ornati possunt esse perfecti, & æquare virgines in merito, sicut de Abraham dicit æquasse Joannem D. Thom. 2. 2. q. 152. a. 4. ad 1.

33. Inq. 3. An uxor, mortuo marito, cujus nulla bona libera supersunt, solvere teneatur debita ab illo contracta ad eam, filiosque alendos, ex bonis suæ dotis? Et idem est de filiis, an nimirum debeant satisfacere creditoribus sui patris? R. si maritus tempore, quo debita contraxit ad uxorem alendam, pauper erat, tenetur uxor illa solvere, quia tempore inopie non tenebatur maritus alere uxorem, sed uxor maritum, ergo debita hoc tempore contracta cedunt in utilitatem uxoris, quæ ex hujusmodi debitis facta est ditior; secus dicendum, si maritus dives erat, ob oppositam rationem. Sic plures docent.

34. Nos vero dicimus uxorem, & filios debere satisfacere creditoribus mariti, & patris, sive dives esset, sive pauper; dummodo possint, & in utilitatem, & commodum eorum debita sint contracta, quia oppositum est contra societatem naturalem, & vix aliquis mutaret alteri cum periculo adeo contingenti amissionis. Quod maxime verum est, quando debita scientibus uxore, & filiis, sunt contracta.

35. Inq. 4. An mulier transiens ad e-

Tam. I.

cundas nuptias debeat filiis prioris matrimonii reservare, quidquid a primo viro titulo lucrativo accepit? R. affirm. quia mulier transiens ad secundas nuptias amittit dominium eorum, quæ a viro titulo lucrativo accepit, & transfertur ad filios, retento tantum sibi usufructu. Idem est de viro, qui accepta a priori uxore titulo lucrativo debet reservare filiis prioris matrimonii, ut unice hæredibus suæ matris.

36. Denique peccant graviter conjuges de se invicem circa continentiam absque sufficienti fundamento male sentientes: hoc enim est contra amorem, & pietatem sibi debitam, & fons, unde rixæ, dissidia, & plurima alia mala eis promanant. Quare, si quos hujusmodi conjuges Confessarius repererit de alterius incontinentia suspicantes, summopere ab hac suspicione remove conetur, eis suadens esse Dæmonis suggestionem ad pacem scindendam, discordiam diseminandam, turbandam familiam, odium fovendum; amoremque conjugalem dissolvendum: quia similis suspicio est velut scintilla ignem augens ad totam domum in favillam redigendam.

РУКСТУМ V.

De obligatione fratrum ad fratres,

& sorores.

37. Inq. 1. Qualiter fratres se amare, & honorare teneantur? R. teneri se invicem amare, & honorare peculiari amore, & honore: ita ut quoties frater fratrem odit, offendit, aut percutit, peccet juxta gravitatem injuriæ contra pietatem, ideoque prædictæ injuriæ non solum sunt contra caritatem, & justitiam, sed etiam addunt circumstantiam contra pietatem in confessione explicandam, si in materia gravi fiant.

38. Inq. 2. An fratres teneantur sibi invicem alimenta præstare? R. affirm. quia sicut succedunt in jure hæreditandi parentibus, ita succedunt in jure se alendi in eorum defectu. Unde non solum in extrema necessitate, sed in gravi tenetur frater dives alere, & dotare fratres, aut sorores inopes, sive utrinque conjungat, sive ex eodem patre, licet ex di-

Qqqq

ver-

versa matre natos. Si vero sint tantum uterini, hoc est, ex eadem matre, & ex diverso patre, tenetur frater dives alere, non tamen dotare alios fratres, nisi ille sit hæres matris: quo in casu obligatio matris in eum cum hæreditate transit. Similiter frater dives debet alere ex æquitate naturali, & lege caritatis filios ex fratre, aut sorore natos. Item fratres, & sorores, qui sua culpa dissipant bona a patre recepta, quia vere, esto ex propria culpa, pauperes sunt. Eadem ratione debet alere fratres a patre exhæreditatos. Ad hæc omnia tenetur etiam soror dives respectu fratrum inopum: quia frater, & soror correlativa sunt.

39. Inq. 3. An clericus possit, aut debeat ex bonis beneficii alere, & dotare fratrem, aut sororem? R. quod si frater, aut soror clerici sint pauperes debet eos alere, quia fructus beneficii expendere debet in pauperes, in quorum numero fratres sunt præferendi. Eadem ratione si clericus bona superflua habeat, debet sororem pauperem dotare: quia in hoc casu dos datur titulo eleemosynæ, ad quam clericus ex bonis superfluis strictius laicis tenetur.

40. Non tenetur religiosus egredi a religione ad fratrem, aut sororem graviter indigentes alendos: tamen justa causa est, ut differat ingressum in religionem subventio fratris, & maxime sororis graviter ejus auxilio indigentis; esto absolute ad ingressum differendum non teneatur; nisi necessitas sit extrema: in hac enim obligat præceptum caritatis, & pietatis prævalens devotioni, aut etiam voto ingrediendi religionem.

41. Inq. 4. Quid sit collatio bonorum, quæ in fratres sunt dividenda? R. est allatio, seu adductio bonorum in communem parentis defuncti æcerum, ex quo legitima debetur, eorum profecturorum bonorum, quæ offerentis effecta erant, ut cum aliis tanquam hæres in eo succedat. Ad hanc collationem, & æcerum communem debent fratres afferre omnia bona a patre accepta, si cum aliis portionem habere velint: nisi pater expresse condonaverit. Verum sumptus, quos pater cum filio pro studiis, libris, gradu doctoratus, seu beneficio ecclesiasti-

co acquirendo fecit, non sunt ad collationem adducendi. Idem est de expensis factis pro aliqua dignitate, seu commendâ; nisi pater expresse protestetur verbo, aut scripto se eo animo eas fecisse, ut in eorum legitimam computarentur. Idem de sumptibus pro filio a captivitate, vinculis, vel ab alia poena liberando solutis: quia præsumitur ex pietate naturali pater eos solvisse. Idem de consumptis in filii honesta recreatione, venatione, & similibus: quia pertinent ad alimenta competentia juxta conditionem personæ.

42. Inq. 4. An filius inhoneste consumens aliqua patris bona debeat ea adducere ad partitionem, seu communem collationem? R. quod si filius male consumpsit tantum ex eis, quæ sibi juxta statum personæ ad sustentationes, & honestas recreationes permittitur, non tenetur ea ad collationem afferre: quia in tali consumptione non est pater invitus quoad substantiam, sed tantum quoad modum. Si autem notabiliter excederet in sumptibus cum meretricibus, in ludis, & similibus, excessus afferendus esset ad partitionem: quia lederet juri aliorum fratrum; nisi isti tantumdem inordinate insumpsissent, aut pater ei expresse condonasset. Circa hæc omnia consulantur juriste.

43. Semel facta, & subscripta partitione coram fratribus, & hæredibus non potest deinceps revocari: nisi detur læsio alicujus minoris, aut deceptio ultra dimidium. Si aliquid, quod afferri debuit, non est allatum ad collationem, potest, errore cognito, per judicem compelli, ut afferatur. Esto dos filii adduci debeat ad partitionem, sicut etiam indumenta, & monilia pretiosa, arrhæ, & alia munera sponsalitia; non tamen sumptus die matrimonii a patre facti, quia ad honorem parentum sic se gerere cum omnibus filiis equaliter congruit.

44. Inq. 6. An filius afferre debeat ad partitionem patrimonium, ad cuius titulum est sacris initiatus, si ceteri fratres legitima defraudentur? R. affirm. quia pater non valet licite donare filio patrimonium legitimam excedens, cum læsione aliorum fratrum: ergo afferendum est ad collationem. Concilium autem pro-

hibens alienari patrimonium ad sacros ordines assignatum, loquitur de justo, non de injusto aliorum fratrum justitiam lædente. Idem est de bonis acceptis a filio pro militia exercenda, si in propria existant specie; si autem consumpta fuerint, non sunt ad partitionem adducenda ex peculiari dispositione, & privilegio juris civilis.

P U N C T U M VI.

De honore debito ecclesiasticis, & aliis superioribus.

45. Inq. 1. An debeat honor peculiaris honor ecclesiasticis, & aliis superioribus? R. affirm. quia in primis Prælati Ecclesiæ, ut Episcopi, Parochi, alique Sacerdotes sunt in gradu superiori cæteris fidelibus. Deinde habeantur ut patres spirituales: ergo debetur eis peculiaris amor, & honor, obedientia, & reverentia, atque subventio, & protectio, quando ipsi, aut bona eorum ecclesiastica tali industria, aut protectione indigent. Similiter Parochi, & ceteri Sacerdotes tenentur obedire Episcopo juxta præcipienti, sicut etiam Episcopi SS. Pontifici. Unde Parochi tenentur adesse Synodo Diocesana ab Episcopo indictæ. Sacerdotes etiam simplices, & beneficiarii, quando viget consuetudo, aut de communi morum disciplina in Synodo est agendum: ut docet Bened. XIV. de Synodo Diocesana lib. 3. cap. 6.

46. Cæterum sicut subditi tenentur Prælati ecclesiasticis honorem, amorem, obedientiam, & etiam alimentorum subventionem, & caritativum subsidium parentibus, & indigentibus præbere; ita Prælati debent vicissim subditos, & filios spirituales vere diligere, honorare, in necessitatibus alere, & protegere; præcipue vero pascere verbo vite æternæ sacramentaque eis ministrare, aliquando etiam cum periculo vite.

47. Pariter Episcopi ultra prædicta tenentur ordines congruis temporibus, & sacramentum confirmationis conferre singulis annis sacrum chrisma conficere, & per se, aut per alios quotannis Diocesim visitare, atque Synodum celebrare. Non nisi dignos ad ordines, & digno-

res ad beneficia ecclesiastica promovere. Peccata, maxime publica, severe corrigere. Concionatores, & Confessarios idoneos seligere. Et denique omni vigilantia, perpetuæ sollicitudine, & zelo vere Apostolico subditorum totius Diocesis salutem spirituales procurare, facereque, ut testamenta, missarum onera, & alia pia opera fideliter adimpleantur.

48. Inq. 2. An Regibus, & Principibus debeat peculiaris honor, reverentia, & obedientia? R. affirm. quia Reges, & Principes supremi, Dynastæ, ac Duces sunt præpositi vicem Dei gerentes, ac a Deo præstituti: ergo eis debetur honor peculiaris, ac exacta fidelis obedientia, quando justa præcipiunt. Unde tenentur vasalli suo Principi in omnibus licitis obedire, eique tributâ, & vestigalia fideliter solvere. Quod verum tenet, esto ipsi alias sint in regimine tyranni, aut in moribus flagitiosi, seu discoli: ut docet D. Petrus Epist. 1. cap. 2. & D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 6. & q. 105. art. 1.

49. Pariter Reges, Principes, ac Dynastæ suos subditos defendere, justis legibus regere, judices, & ministros rectos constituere, tributis non nimis gravare, justitiam sine acceptione personarum administrare, viduas, pupillos, & miserabiles personas tueri, Ecclesiam, & ejus ministros, ac jura conservare, & defendere, vias publicas reficere, grassatores ab eis propulsare, tributa, & vestigalia, quæ ex sudore pauperum conflantur, in ludis, ac rebus vanis non consumere; & de niche subditorum pacem, tranquillitatem, levamen, ac solatium sollicite curare debent.

50. Inq. 3. An licite vendi possint officia secularia? R. quod venditio officiorum secularium secundum se licita est, tamen in praxi illicita reputatur: quia esto venditio rei temporalis justis effecta conditionibus sit ex se licita; verum venditio officiorum regulariter plures præfert injustitias. Non enim emuntur ad utilitatem communem, sed ad cuiusque propriam: Pluries etiam ab habentibus majorem copiam non talentorum, & prudentiæ, sed pecuniæ, ambitionis, & avaritiæ. Unde quamvis officia, quæ nihil jurisdictionis, aut judicii admixtum præ-

præferunt, vendi licite possint; nihilominus ea, quæ adjunctam habent jurisdictionem, administrandæque justitiæ potestatem, nullo modo vendi licite queunt. Maxime, cum officia etiam sæcularia in præbilitiori sententia solum dignioribus sint conferenda: quia Reges, & Principes non habent dominium eorum absolutum; sed tantum gubernativum; hoc est, ad communem utilitatem, ut docet D. Thom. opus. 21. ad Ducissam Brabantie.

51. Inq. 4. Ad quam virtutem pertineat præceptum honorandi parentes? R. Hoc præceptum esse primo, & per se affirmativum, & secundario negativum: pluresque virtutes in eo præcipi, & in ejus adimpletione exerceri. Præcipue tamen pertinet ad pietatem, dum exercetur circa parentes; & cognatos: ad observantiam, dum circa ecclesiasticos, & magistros: ad obedientiam religiosam, dum circa Prælatos, quibus illa ex motivo perfectionis vovetur: ad obedientiam politicam, dum circa majores in dignitate laicali constitutos; ad justitiam legalem; dum circa superiores, & judices civiles; ad commutativam, dum circa dominos in his, quæ ipsis famuli, & servi præstare tenentur; ad æquitatem naturalem, vel etiam observantiam, dum circa senes, a quibus forte congressus magnatum *Senatus* dicitur; & denique ad gratitudinem, dum circa benefactores exercetur. In quarto igitur præcepto omnes istæ præcipiuntur respective virtutes, & aliæ, quas quilibet ex proprio officio exercere debet. Omnes igitur accurate studeamus honorem, reverentiam, comitatem, obedientiam, & urbanitatem submissam præstare majoribus ætate, dignitate, aut regimine: quod potissimum incumbit religiosis, tam inter se, quam circa extraneos; quia sicut monasteria sunt gymnasia virtutis, ita debent esse scholæ comitatis, & urbanitatis, non mundanæ, sed virtuosæ, ortæ ex verâ animi demissione; quia urbanitas non est contraria virtuti.

PUNCTUM VII.

De mutua dominorum, ac servorum obligatione.

52. Inq. 1. Quotplex sit servitus? R. quod servitus, prout in præsentî, est duplex: alia civilis, & legalis, qua personæ omnino subjiciuntur eorum dominis, ipsisque concedit dominium, tum in personas, tum in actiones. Alia est *conductitia*, qua homines ad alias functiones, seu opæras conducuntur; hæc non concedit dominium supra personas, sed tantum supra actiones. Prima est propria servorum, de quibus in hoc puncto. Secunda famulorum, de quibus in sequenti. Aliqui tertiam assignant servitutem naturalem, qua imbecilliores subduntur nobilioribus, eisque obedientiam, & famulatum præstant, ut ab illis regantur, & dirigantur: hæc tamen ad præsens non spectat institutum.

53. Quot titulis servitus propria introducta sit? R. quadruplici, nempe bello, venditione, nativitate, & crimine. *Primo* jure gentium introducta est bello: quia capti in bello justo possunt privari vita: ergo & libertate. Nihilominus, ut vitæ consulatur, cautum est, ut homines bello capti servarentur; manerent tamen victorum servi. Excipiuntur Christiani, dum a Christianis vincuntur, quia consuetudine leges civiles abrogant captivi fiunt, non servi. Si autem justo bello ab infidelibus vincantur, servi eorum manent: sicut etiam manebunt si contra alios Christianos auxilium præstent infidelibus.

54. *Secundo*, quis efficitur servus venditione, quando scilicet, vel pater in necessitate vendit filium sub patria potestate existentem, vel quilibet justa cogente causa seipsum vendit. *Tertio*, fit aliquis servus nativitate, quando nimirum natus est ex matre serva, quia partus sequitur ventrem. Verum si mater tempore conceptionis, vel partus, aut intermedio sit libera, etiam proles libera nascitur. Ex *Instit. de Ingeniis* §. *sed si quis*. *Quarto*, fit aliquis servus ex crimine, cui ex jure talis poena correspondeat: ut raptor puella, puella con-

tra-

trahens cum initio in sacris. Item filii ex tali concubitu geniti, & constat ex *Instit. lib. 2. tit. de rer. divis.* Alia vero fuga, quæ ad suos non sit, nec licita est servus, nec libertatem eis affert, nec dominis insequentibus vi resistere possunt; donec ad suos, vel ad alium locum non subjectum hostium dominio non se recipiant: quia jus habent eos detinendi, quamdiu ad alium Principatum non perveniunt, & libertatem consequantur. Idem est de illis, qui se venderunt, aut pater eos vendidit: quia primi ex propria voluntate, secundi ex paterna simul cum libertate potestatem fugiendi amiserunt. Idem tenet de illis, qui ob propria delicta ad servitutem damnantur. Denique idipsum dicendum est de omnibus, qui de non fugiendo fidem, maxime juratam, dominis dederunt: quia jure naturali fides servari debet, & maxime si juramento firmetur.

55. Inq. 3. Ad quid teneantur servi respectu dominorum? R. quod servi, qui tales sunt ex quolibet titulo relato, teneantur 1. honorem, & reverentiam, peculiaremque amorem dominis deferre. 2. obedientiam præstare in omnibus, quæ juste eis imperant. 3. Eos a malis ingruentibus, & inopinatis, etiam cum periculo vitæ defendere. 4. Res dominorum pro viribus conservare. 5. Quando domini sunt in gravi infirmitate, curare, aliis deficientibus, ut sacramenta recipiant. Tamen non debent obedire dominis præcipientibus contra præcepta naturalia, aut divina. Si autem contra Ecclesiæ præcepta jubeant, obedire poterunt, si grave damnum ex inobedientia imminet, vel adsit necessitas.

56. Domino, & servo in extrema necessitate famis constitutis, non tenetur hic domino alimenta sibi necessaria ministrare: quia in extrema necessitate jure naturæ omnia sunt communia, & quisque sibi prius, quam alteri providere debet; nisi dominus esset Rex, Princeps, aut vir reipublicæ valde utilis: quia tunc ordo caritatis postulat, ut servus vitam domini suæ propriæ anteponat. Idem est, quando servus conducitur, ut dominum tueatur: tunc enim cum periculo vitæ eum defendere debet, ut diximus, a malis inopinatis. Si vero dominus pericula vitæ amittendæ absque necessitate, aut temere subeat, minime tenetur servus eum tueri cum gravi periculo proprio.

57. Inq. 4. An servi in bello capti licite possint ad suos fugere? R. 1. quod servi capti in bello injusto, quales reputantur Christiani capti a Mauris, & Sarracenis, possunt licite fugere: imo accipere a dominis, quæ ad iter faciendum indigent. Et licet graves Theologi asserant posse etiam auferre a dominis quantum placet, securius est oppositum.

58. R. 2. Quod servi capti in bello justo, etiam licite ad suos fugere possunt: quia jus gentium concedens bello justo captos posse ferri servos cum li-

Item. 1.

bertate fugiendi ad suos, ab omnibus acceptatum est: & constat ex *Instit. lib. 2. tit. de rer. divis.* Alia vero fuga, quæ ad suos non sit, nec licita est servus, nec libertatem eis affert, nec dominis insequentibus vi resistere possunt; donec ad suos, vel ad alium locum non subjectum hostium dominio non se recipiant: quia jus habent eos detinendi, quamdiu ad alium Principatum non perveniunt, & libertatem consequantur. Idem est de illis, qui se venderunt, aut pater eos vendidit: quia primi ex propria voluntate, secundi ex paterna simul cum libertate potestatem fugiendi amiserunt. Idem tenet de illis, qui ob propria delicta ad servitutem damnantur. Denique idipsum dicendum est de omnibus, qui de non fugiendo fidem, maxime juratam, dominis dederunt: quia jure naturali fides servari debet, & maxime si juramento firmetur.

59. Verum illi, qui a dominis ad libidinem, furtum, aut alia peccata inducuntur, vel acerbe, & inhumaniter tractantur, licite fugere valent, quia nemo evidenti periculo animæ, aut corporis ad serviendum cogi potest. Imò, si dominus publice prostituat ancillam ad turpiter ejus corpore lucrandum, eo ipso libera manet: ut optime decernunt leges Castellæ Part. 7. tit. 22. leg. 2. & alibi.

60. Inq. 5. An quidquid servus acquirat, domino acquirat? R. affirm. quia accessorium sequitur principale: sed servus secundum principale domini est: ergo etiam quidquid ipse acquirat, ei consequitur. Uade monachus, & servus patres reputantur in eo, quod nullius rei possint habere dominium, Nihilominus non in omnibus tenet paritas: quia monachus solemniter professus incapax est omnis domini, etiam ex voluntate Prælati; servus vero ex voluntate domini potest habere dominium pecunie, aut alterius rei sequentibus casibus: 1. Si dominus ei aliquid donet. 2. Si paciscatur cum eo, ut sibi tantum det quotidie, & reliquum, quod acquirat, sibi retineat. 3. Si ludo, aut negotiatione ex consensu domini aliquid lucretur. 4. Si ei aliquid restituar pro injuria illata. 5. Si aliquid ei donetur sub conditione, quod solus ipse acquirat dominium. 6. Quan-

Rrrr

do

do a domino certa portio cibi servo taxatur, & ipse parcius sumendo, aliquid vendit, & pretium retinet; dummodo per hanc abstinentiam non reddatur inhabilis ad obsequium domini. 7. Si ancilla usu illicito sui corporis aliquid comparat, quod non domino, sed sibi, esto male, lucratur.

61. Inq. 6. Ad quid teneantur domini erga servos? R. teneri ad ea omnia, quæ parentes erga filios: quia vices gerunt parentum. Igitur debent eos diligere, alere, & bonis moribus instruere, atque moderate punire, aut corrigere. Idcirco peccant graviter domini. 1. Si servus impediant sacrum audire, dies festos colere, aut sacramenta congruo tempore recipere. 2. Si eos mutilent, dire puniant, aut traçant: gravis quippe punitio ad iudices pertinet. Si autem dominus deliberate taliter servum puniret, ut eum lusum, mancum, aut claudum redderet, posset in compensationem ad illi libertatem donandam compelli. 3. Peccant domini, si servos cogant ad matrimonium: vel ab eo contrahendo impediant: quia in his, quæ sunt de jure naturæ, non subijciuntur dominis.

62. Servus invito, aut inscio domino, nequit religionem ingredi, nec ad ordines ecclesiasticos promoveri, nec matrimonium contrahere. Si vero, domino inscio, contrahat, tenetur cæteris paribus præferre ejus obsequium debito matrimonii: quia jus domini anterius fuit. Si autem contrahat, volente domino, debitum matrimonii præferendum est obsequio domini, qui concedens servo contrahere, cessit quoad requisita matrimonii juri suo. Dominus solum obligatur ex delicto, & contractu servi: primo, si jussu domini delictum perpetravit, aut contractum iniit. Secundo, si quod ex contractu acquisivit, in utilitatem domini versum est.

PUNCTUM VIII.

De reciproca dominorum, & famulorum obligatione.

63. Inq. 1. Ad quid teneantur famuli erga dominos, seu heros suos? R. teneri 1. exhibere dominis reverentiam, &

benevolentiam. 2. obedientiam. 3. obsequium, & fidelitatem: hoc ultimum ratione justitiæ: cætera recensita ratione virtutis observantia. Unde graviter peccant, si præfata omittant: si irreverentiam gravem eis irrogent: si operas consuetas non præstent: si secreta domus, aut familiæ foras propalent: si eis justa præcipientibus non obediant: si absque justa causa discedant a famulatu ante tempus conditum.

64. Inq. 2. An famulus per annum conductus, dimidium tantum inserviens, ad dimidium stipendii jus assequatur? R. affirm. quia jure naturæ cuilibet solvendum est juxta laborem præstitutum. Verum si ex discessu famuli absque causa domino grave damnum oriatur, potest illi subtrahere secundum quantitatem damni. Imo, quia dominus ex tali discessu aliquam semper patitur injustitiam, docet communis sententia posse dominum aliquid stipendii sex mensibus respondentis sibi retinere in poenam injusti discessus. Aliqui ajunt famulum non posse petere suam mercedem triennio elapso ab exitu e domo domini, quod in foro conscientia locum non habet: quia vere merces famulo debetur: ergo solvenda est in conscientia, quidquid sit de foro judiciali. Famulus ægrotans per aliquod tempus non tenetur post annum supplere operas omittas: quia casus fortuitus creditur exceptus in promissione operis. Verum est, quod nec dominus tenetur ei solvere stipendium pro tempore ægitudinis; esto curare debeat, ne ei necessaria desint, & præ cæteris extraneis cum eo caritative se gerere.

65. Inq. 3. Ad quid teneantur domini erga famulos? R. teneri ad benevolentiam, mercedem, & custodiam, & alia, quæ tam in spiritualibus, quam incorporalibus indigent juxta pactum initum, & consuetudinem locorum. Debent igitur domini famulos diligere, doctrinam Christianam, & bonos mores verbo, & exemplo docere; atque etiam curare, ut Deo servant, sacramenta suscipiant, dies festos colant: scientes numquam sibi fideliter servituros, nisi propria animæ, & conscientia consulant, & Deum timeant. Debent alimenta congrua eis præ-

præstare, moderare, & non asperere eos corrigere; peccant enim si injuriis, imprecationibus, & contumeliis eos increpent. Teneantur similiter eos absque causa ante tempus conditum non dimittere; alias debeat totam mercedem integre eis solvere; nisi statim alterum herum invenerint, qui æquali saltem stipendio illos conduxerit.

66. Inq. 4. An dominus solvere debeat stipendium famulo inservienti, nulla mercede stipulata? R. sub distinctione, quia vel dominus similitum famulorum operas conducere solet, vel non? Si primum, solvere debet stipendium consuetum; & eo non solvente, potest famulus exigere, quia eo ipso, quod illius famulatus, & obsequium admittit, consentit in illud, ac proinde tenetur ei solvere. Si secundum, minime: quia sufficienter satisfacit admittendo illum gratis, tribuendoque ei alimenta, & habitationem; ut potest accidere cum aliqua miserabili persona, qua herus non indiget, & ex caritate illam admittit. Quidquid hic dicat P. Concina, qui absque distinctione, solvendum esse omnibus famulis asserit, & non probat.

67. Famuli Magnatibus, & Episcopis gratis inservientes nihil præter victum, vestitum, habitationem, & educationem præstunt, nec accipere volunt, nec debent: nec ab extraneis quidquam titulo etiam gratificationis extorquere. Circa quod singulari exemplo refulget hodie Palatium Illustrissimi Archiepiscopi Burgenis; ubi mandato zelantissimi Præsulis nihil omnino ullo titulo accipiunt ab extraneis ejus domestici. Utinam hoc exemplum sequerentur omnes Magnates! Ex opposito enim quod hodie accipitur ut gratificatio mera, cras exigitur ex justitia. Unde prodeunt plurimæ injustitiæ, & vexationes in expeditione negotiorum. Væ illis!

68. Pro Coronide hujus puncti observanda propos. 37. damnata ab Innoc. XI. Famuli, & famule domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. Merito thesis hæc proscribitur est: aperiebatur enim janua pluribus injustitiis, dum quilibet famulus, aut famula pro suo cere-

bro judicaret numquam sua servitia sufficienter persolvi. Igitur quando recipiunt salarium, de quo sponte fuit stipulatum, injuste aliquid amplius surripiunt, quod restituere tenentur. Porro si eis videtur stipendium suo servitio inferius, moveant heros de inæqualitate, aut querant alium, aut contenti sint stipendio assignato. Nec proficit recurrere ad majus servitium, quod ipsi ajunt se præstare; quod aliquando quidem fictum est; aut non semel gratis præstitum. Nam si vere ex domini voluntate exhibent ministeria ultra conventionem, tunc de consensu, & judicio Confessarii prudentis possunt in hac materia se gerere. Requiritur consilium Confessarii, ne proprio judicio fallantur; nemo enim est rectus iudex in propria causa. Nec hoc in dicta propositione comprehenditur: nec etiam quando herus non solvit integre salarium designatum, aut consueverit. Sed caute procedant Confessarii, nec cito credant famulorum dictis parum veris ad excusandas excusationes in suis furtulis.

PUNCTUM IX.

Qualiter honorandi sint Tutores, Curatores, Magistri, & senes.

69. Parentum nomine eos intelligimus, inquit Cathec. Roman. p. 3. cap. 5. n. 4. quorum procuratori, fidei, probitati, sapientiaque alii commendantur: cujusmodi sunt tutores, & curatores, pedagogi, & magistri. Postremo patres dicimus senes, & ætate confectos, quos etiam vereri debemus. De his omnibus breviter in hoc puncto agemus, doctrinamque supra stabilitam cuilibet applicabimus.

70. Inq. 1. Quam obligationem habent tutores, & curatores respectu pupillorum, & minorum? R. quod tutor est, qui a Magistratibus designatur pupillo, seu masculo minori quatuordecim annorum, seu femina minori duodecim extra patriam potestatem existenti, ad tuendam eos. Ex Instit. de Tutela §. 1. & 2. Curator est, qui aut puberi majori quatuordecim annorum, & minori viginti quinque, aut amenti, aut prodigo, qui rebus suis præesse non potest, a Magistratibus præficiuntur. Ex ead. Instit. de Cu-

Curat. Igitur tutores, & curatores a Magistratibus præficiuntur, non solum ad defendenda bona, & causas pupillorum, & minorum, sed etiam ad eorundem educationem, & instructionem. Unde mortaliter peccat tutor, aut curator, qui notabiliter est negligens in pupillo, aut minori bonis moribus instruendo, & a vitis, & peccatis avertendo: sicut lethali peccaret in notabili negligentia circa eorum bona, & causas defendendas: quia æqualiter hæc officia instituta sunt, ut minoribus, & maxime pupillis de utroque provideant. Ex quo sequitur, quod cum tutores, & curatores sint veluti parentes pupillorum, & minorum, debent eis similem honorem, & reverentiam, quam parentibus exhibent. Ideo, quæ diximus de filiis respectu parentum, proportionabiliter eis applicari debent.

71. Inq. 2. Quæ obligatio incumbat magistris respectu discipulorum? R. quod prædicator, seu magister tenentur 1. curam discipulorum gerere in rebus pertinentibus ad mores, & honestam educationem: quia cum loco parentum succedant, eis attribuenda sunt discipulorum peccata, si eos non corrigant, puniant, vel saltem acriter reprehendant. 2. Curare, ut in litteris proficiant, & ne perna bona aliis vanis exercitiis insumant. 3. Debent, non tam subtilia, quam utilia, & solida discipulos edocere. Unde peccat mortaliter magister, qui in moralibus, & theologicis improabilia docet: tum quia ipse turpiter errat: tum quia discipulos in rebus magni momenti in errorem inducit. Circa mores doceat semper probabiliora: in philosophia utiliora, horreat modernos materialistas, qui speciosis verbis incautos fallunt, & a principis veræ Theologiæ, fidei, & religionis elongant. Habeant in corde, & in ore illud æternæ veritatis dictum Eccles. 39. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens.* Sed proh dolor! Hodie sola novitas placet. Sapientia antiquorum despicitur, recentiorum plauditur. Celebrantur quidam saperdæ, qui volentes buccis crepantibus suam sapientiam proderi, suam veram stultitiam ostendunt. *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt,* dicit de talibus Apost. ad Rom. 1.

72. Nihilominus ipsi audiuntur, quia novandi genio, & inquieto venerabili antiquitati se opponendi pruritu Theologiam scholasticam adeo ab Ecclesia, a SS. Patribus, & a Conciliis laudatam, & commendatam vocitant insipidam, barbaram, rixosam, antiquatam, & inutilem. Unde illam asserunt ab scholis eliminandam; quia putant sufficere nudam Theologiam positivam. Sed dedebant advertere quod S. Aug. silendo alios lib. 14. de Trin. c. 1. eam dicit esse, per quam *fides saluberrima in nobis gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Si ergo non se putant oculatiores Augustino, fateantur, quod Theologia scholastica non inutilis, sed utilissima, & saluberrima est.

73. Quod nihil melius probat, quam odium implacabile hæreticorum contra eam, quia eorum commenta, nugæ, & sophistica argumenta dregit, explodit, & profigat. Unde Wiclef, Luterus, Calvinus impietatis scholam, & aliis vere impiis nominibus eam diffamant. Witembergenses, quot libros dictæ Theologiæ invenire potuerunt, igni tradiderunt. Cur dicebat Bucerus *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam?* nisi quia ejus doctrina, præsertim mirabilis summa, est ars munitissima, & velut turris David, ex qua pendent mille clypei ad hæreses, & hæreticos funditus debellandos? Theologia igitur scholastica necessaria est ad puritatem fidei conservandam, & defendendam.

74. Ex dictis inferitur quantus honor, & reverentia magistris adhibendus sit a discipulis, cum tanta obligatio illis adsit ad eos educandos, & instruendos. Unde tenentur 1. discipuli ex virtute observantiæ exhibere suis magistris, & prædicatoribus honorem, & reverentiam similem ei, quam patribus exhibent: imo, & forte majorem: ut postulat Alexander magnus, plus, respondit, quam patrem, se magistrum diligere: *Ille enim,* inquit, *ut essem: hic autem, ut præclare institutus essem, auctor fuit.* 2. Tenentur obedire magistris in his, quæ ad bonos mores pertinent, & ad suam instructionem, nam loco parentum succedunt.

75. Ultimo loco parentum nomine intelliguntur senes, quos etiam hoc Deca-

logi præcepto honorare jubeatur, juxta illud *Levitic. 19. 32. Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Primo, quia senes se habent ad juniores, sicut magistri ad discipulos. Secundo, quia in senibus præter excellentiam ætatis, solet esse magna prudentia, sapientia, & virtus: unde a senibus olim regebantur regna. Et ideo omnes nationes solo instinctu naturali senes honorabant, & venientibus senibus juniores consurge-

bant. Quapropter parentes, & Confessarii acriter reprehendere debent, & etiam punire petulantes pueros, & juvenes, qui non semel pauperes senes exsufflant, & sibilant cum magno dedecore, & commotione atræ bilis. Unde Eliseus Propheta ad puniendos parentes, & filios male educatos, zelo Dei maledixit pueros eum irridentes, ut ait D. Thom. 2. 2. q. 108. art. 1. ad 4.

TRACTATUS DECIMUS SEXTUS

DE QUINTO DECALOGI PRÆCEPTO.

Accedimus ad quintum Decalogi præceptum explorandum, quod unico capite præstare curabimus. Quoniam autem de gula, & ebrietate jam tract. 5. a num. 20. egimus, in præsentem solum de spectantibus ad sævissimum, & crudele homicidium peccatum erit nobis sermo: licet per doctrinæ connexionem quædam de licita hominis occisione prælibanda sint juxta doctrinam D. Thomæ, qui de hoc præcepto disserit. 2. 2. q. 64. & 65.

CAPUT UNICUM

De homicidio.

PUNCTUM I.

Notio homicidii.

1. Inq. 1. Quid per quintum Decalogi præceptum prohibetur? R. prohiberi homicidium proprie tale, quod est *injuria hominis occisio.* Item prohibetur omnis injusta mutilatio, aut læsio hominis facta, verbo, cogitatione, seu desiderio, ope, sive consilio. Aliqui dicunt prohiberi etiam scandalum, quia est mors animæ proximi; sed revera scandalum est peccatum oppositum caritati, potius quam justitiæ, cui proprie opponitur homicidium. Et licet omne peccatum contra justitiam, sit contra caritatem; non tamen e contra. Verum in confessione sufficit fateri expresse peccatum injus-

Tom. I.

titiæ, ibi enim subintelligitur peccatum contra caritatem in injusitiâ semper pertum. Denique in hoc præcepto prohibetur prodiga per intemperantiam in esu, & potu amissio salutis, cuius homo non est dominus, sed custos. Nam teste Ecclesiastico 37. 34. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstiniens est, adjiciet vitam.*

2. Igitur illo præcepto Exodi 20. 13. *Non occides* minime prohibetur occisio animalium, aut herbas secare, uti finxerunt Manichæi: quia omnia animantia auctor naturæ subjecit homini ad ejus esum, usum, commodum, & utilitatem: ut patet *Genes. 9. 3.* Nec prohibetur occisio hominis facta autoritate publica, ut somniarunt Waldenses: quia oppositum aperte constat Exodi 22. 18. *Ubi maledicos, idolatras, & jumentorum concubitores jubet interfici.* Nec tandem prohibetur occidere homicidas, blasphemos, latrones, & alios facinorosos: quia Josue 7. Acham propter laminæ furtum lapidatus est. Et in jure canonico sepe malefactores damnantur poena mortis:

3. Inq. 2. Quale peccatum sit homicidium? R. esse gravissimum injustitia peccatum, majus omnibus, quæ externum nocumentum homini inferunt; quia maximum ei aufert bonum, nempe vitam: Unde maxima poena est ei imposita, scilicet mors. Est etiam ab intrinseco malum: quia homicidium est injusta hominis occisio, quæ semper est mala. Quare quid valde diversum est occi-

Ssss

sio